

MAXIMILIANI IMPER. & REGIS DECRETUM II. ANNI 1567.

Praediales Nobiles non dicentur. Eorum homagia et juramenta, aequiparantur aliorum Nobilium Regni.

Articulus 14.

Item statutum est, id quoque ex clementi annuentia Majestatis Suae; ut Praediales quarumcunque Ecclesiarum (qui in Ungaria et Sclavonia, iisdem fere semper praerogativis usi sunt, quibus alii possessionati Nobiles, et quorum homagia et juramenta aequaliter semper cum aliis Nobilibus fuerunt aestimata) non dicentur.

Gratuitus labor incipit, dierum duodecim.

Articulus 17.

§. 5. Ex Comitatu vero Szaladiensi excipiatur Insula, quae est inter fluvios Dravum et Muram, cum duabus extra Insulam villis Patha et Chatar, quae laborent ad castellum Domini Comitis de Zrinio, Legrad, quod ad Insulam defendendam illam, opportuno loco situm est.

Differentiae inter Nicolaum Jurissith et vicinos Nobiles, in Oppido Köszehg cognoscantur.

Articulus 44.

Controvertuntur etiam, inter Dominum Nicolaum Jurissith, Capitaneum in Köszehg *), et certos Nobiles Comitatus Soproniensis et Castriferrei, differentiae quaedam super certis metis et territoriis, ac ratione cujusdam terrae, Szekfölde appellatae; super qua etiam literae adjudicatoriae, tam ex Germanica, quam Ungarica Cancellaria extradatae, apud certos Nobiles extare dicuntur, adhuc tamen inexcutae.

§. 1. Dignetur Majestas Caesarea et Regia mandare; ut literae illae adjudicatoriae executioni demandentur et differentiae omnes inter dictos Comitatus et Nicolaum Jurissith, medio aliquorum Commissariorum, ad certum terminum per Majestatem Suam praefigendum, revideantur et complanentur **).

§. 2. Non dissimiliter etiam dignetur Majestas Sua, ad certum terminum Commissarios constituere (communicato negotio, cum Serenissimo Principe Domino Carolo Archi-Duce Austriae, Fratre Majestatis Suae charissimo, Domino eorum gratiosissimo) et limites, ac metas inter Sclavoniam et Styriam, vel Carnioliam revideri facere et imperare; ut quaelibet pars suis finibus sit contenta-

*) Nicolaus Jurišić nobilis Croata Segniensis, immortalis defensor ejusdem oppidi, nunc civitatis Köszehg seu Ginsiensis.

**) Vide, Rubric. Jur. Ung. ad b. art.